



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lerna Malorvm Omnivm; Sive Gravitas, Et Damna Peccati  
Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Reverendissimo Et Amplissimo Antistiti Ac Domino, D. Iacobo,  
Coenobiorvm In Crevzlingen Et Riederer, Ordinis Can. Reg. S. Augustini  
Abbati, & Præposito vigilantissimo, Domino meo gratioso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](#)

REVERENDISSIMO ET  
AMPLISSIMO ANTISTITI  
AC DOMINO,

D. IACOBO,  
COENOBIORVM IN  
CREVZLINGEN ET RIE-  
DEREN, Ordinis Can. Reg.  
S. Augustini Abbati, & Præpo-  
sito vigilantissimo,

*Domino meo gratioſo.*

**N**cidimus in ea tempo-  
ra, R.<sup>me</sup> Antistes, qui-  
bus improbitas, si vn-  
quam aliás, virtuti interneci-  
num bellum indixit. Neque  
enim facilè Germania nostra (ut  
de exteris nationibus taceam) ex  
quo CHRISTVM cœpit agno-  
scere, se tot aliquando, tantis  
que calamitatibus & iniurijs ia-  
statam, conculcatamque memi-

A 2 nit,

## EPISTOLA

nit, quot & quantas iam compluribus annis experitur. Vide licet *magnum non est* (a vt verè magnus Augustinus olim in simili propemodum Africæ statu se ipse, cum nescio quo sapiente, consolans, aiebat) *quòd cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales*; sed tot immortalium animorum nunquam resarcienda damna & strages, quas summa hæc rerum perturbatio secum trahit, nemo profectò satis dignè deplorauerit. Sed neque de tantorum malorum origine Christiano homini dubitare fas sit, quando regum sapientissimus tam disertè, quàm breuiter pronunciauit: b. *Miseros facit*

a. *Vita eius c. 28.* b. *Prov. 14.34.*

## DEDICATORIA.

cit populos PECCATVM. Et  
luculentius etiam Vates Euan-  
gelicus: a *Quis dedit in dire-  
ptionem Jacob & Israël vastan-  
tibus? nōnne Dominus ipse, cui  
peccauimus?* Et noluerant in  
vijs eius ambulare, & non au-  
dierunt legem eius. Et effudit  
super eum indignationem furo-  
ris sui, & forte bellum; & com-  
busit eum in circuitu, &c. At-  
que vtinam homines, quām in  
huiusmodi miserijs & ærumnis  
sentiendis acres, in ferendis dif-  
fices, in lamentandis frequen-  
tes, sæpèque nimij sunt, tam in  
obturando earum fonte, adeòq;  
lernâ omnium malorum exic-

A 3

can-

a *Is. 42, 24.*

## EPISTOLA

candâ, PECCATO, inquam, ex-  
terminando gnaui essent. Hoc  
quidem certè posterius pro viri-  
li parte conatus est P. Franciscus  
**Arias**, Hispalensis, Societatis  
nostræ Sacerdos, edito iam pri-  
dem maternâ linguâ, præter  
alios toti orbi notos vtilissimos  
libros, & hoc de grauitate ac  
damnis peccati mortalis tracta-  
tu, quem, vt pluribus prodesset,  
voluntate maiorum latinè red-  
didi. Cur verò hunc meū labo-  
rem tuo nomini, R.<sup>me</sup> Antistes,  
inscriberem, causa mihi non vna  
fuit. Inprimis enim inuitauit  
me propinquus splendor mitræ  
**CREVZLINGANA**, quæ anno  
post **CHRISTVM** natum M.  
cccc. xiv. sub Oecumenicæ  
Synodi Constantiensis initia, à  
Sede

## DEDICATORIA.

Sedc Apostolicâ , primùm Erar-  
dø antecessori tuo, ac deinceps,  
serie non interruptâ , alijs ritè  
imposita, iam in tuo capite ipsos  
xxii. annos (quot ab auspicatissimâ tuâ inauguratione nume-  
rantur) fulget, téque ita ornat,  
& supra ceteros plerisque Ca-  
nonici huius Ordinis Præsules  
euehit, vt haud paulò plus vicis-  
sim ornamenti, dignitatisque à  
tuis virutibus accipiat. Harum  
facilè princeps est religio, & ar-  
dens erga diuina studium, quo  
fit, vt in quotidianis, benéque  
longis cum Deo congressioni-  
bus non tuam solius ac Tuorum  
causam agere consueueris, sed  
instar Aaronis, stans inter mor-  
tuos ac viuentes, a castissimæ

A 4                    ora-

a Num. 16, 48,

EPISTOLA

orationis *thymiana*, supremo  
illi Numinis offerre, utque com-  
munis *plaga* aliquando cesseret,  
nunquam supplicare desinas. Ne-  
que hunc tuum diuinorum, sa-  
lutisque publicæ amorem, otio-  
sum intra mera vota ac voces  
consistere finis, sed cum miseros  
omnes, tum præsertim quos ho-  
rum temporum iniquitas fortu-  
nis suis spoliatos solum vertere  
coëgit, tantâ charitate comple-  
teris, tamque benignè ac libe-  
raliter facultatibus subleuas, vt  
merito tuo iamdudum, *Pater*  
*pauperum* audias, & his nempe  
ipsis actoribus ea, quæ spargis,  
tibi multiplicata diuinitus iam  
nunc rependi gratus agnoscas.  
Hic verò ego non modò in te,

R.<sup>me</sup>

## DEDICATORIA.

R.<sup>me</sup> Antistes, ingratus, sed etiam  
in Societatem, charissimam pa-  
rentem meā, planè impius sim, si  
prolixissimum Tuum in Eam af-  
fектum, quem plurimis, ijsque  
maximis, in hoc præsertim Col-  
legium Constantiense collatis,  
beneficijs vsque testaris, tacitus  
præteream. Omnia ea in vni-  
uersum Ordinem nostrum tua  
sunt merita, quæ dudum publi-  
cam aliquam gratæ in te volun-  
tatis tesseram à nobis iure opti-  
mo exigebant. Ac tametsi mea  
me tenuitas à tanti debiti vel  
minimâ parte soluendâ abster-  
rere debuit, tamen ut hoc aude-  
rem, fecit tua singularis humani-  
tas, quâ ante sexennium, ut pri-  
mùm de meo Constantiam ad-  
uentu inaudisti, non solùm te

A s meum

EPISTOLA DEDIC.

meum in hoc ipso Constantiensī  
Gymnasio abhinc amplius an-  
nis X L. condiscipulum fuisse  
professus es, verūm etiam cupi-  
dè, comitérque ac perquām iu-  
cundè communia quondā stu-  
dia mecum præsentie regustâsti.  
Accipe igitur, R. <sup>m</sup>e Antistes, quā  
soles, serenā fronte hoc , quale-  
cumq; est, animi mei tibi etiam  
priuatim deuincti pignus , &  
(quod à D̄o Opt. Max. omnes  
vnicē precamur , ac vouemus )  
Tuis, Nobisque quām diutissi-  
mè incolumis viue. Constantiæ  
è Collegio nostro,&c.

R. <sup>m</sup>e & Ampl. <sup>m</sup>e Dom. <sup>a</sup>i<sup>o</sup> Tuæ

*Humilis in Christo Seruum*

LEONARDVS CREDER,  
Societatis IESV.